

ADICIONES.

I. Non exiguum sibi
damnum conciliat pastor dum
extra ovile dormit ovium:
Pastorum enim negligentia,
luporum est gaudium. (*De
timore Dei.*)

II. Si quis per igna-
viam seipsum relaxans gra-
tiam Dei in auxilium invo-
care neglexerit; seipsum ac-
cuset, & non gratiam, si
ab ea deseratur. (*Ibid.*)

III. Peccatores poeni-
tencia immolat, sed rursus
eos vivificat; mortificat, ac
denovo resuscitat. . . . magna
fornax est poenitentia: æ ac-
cipit, & in aurum commutat.
(*Ibidem.*)

I. No es poco el da-
ño que el pastor se está ha-
ciendo á sí mismo, entretanto
que duerme fuera del redil
de sus ovejas: pues la negli-
gencia y descuido de los Pas-
tores es el contento de los
lobos.

II. Si alguno por pereza
y floxedad se descuida en
implorar los auxilios de la
gracia: no acuse á la divina
gracia si se ve desamparado;
acúsese á sí mismo.

III. La penitencia sacri-
fica los pecadores, pero les
vuelve á dar la vida: prime-
ro los mortifica, y despues
los resucita. Es la penitencia
un horno excelente, porque
le echan metal despreciable,
y le convierte en oro. (*De
tim. Dei.*)

SENTENCIAS ESCOGIDAS

DE SAN BASILIO

Correspondientes al Capítulo II. Artículo IV.

I. Non solus oculus ea quæ sunt foris conspiciens, ad
se seipsum cernendum, haud utitur facultate videndi; sed
ipsa etiam mens nostra peracutè perspiciens alienos errores
tarda est ad proprios suos cognoscendos defectus. (*Hom. 9. in
Hexæm.*)

II. *Scriptura omnis divinitus inspirata est utilis*: hac
una ratione à Spiritu Sancto conscripta astruitur ut ex ea,
haud secus atque è communi quæpiam curandarum animarum
officina, medellam suo quisque morbo salutarem, & accomo-
dam queat seligere. (*Hom. in Psal. 1.*)

III. Alia Prophetæ nos erudiunt, alia Historici, alia
lex, alia opus Proverbiorum. . . . at unus Psalmorum liber
quidvis ex omnibus in se complectitur, quod usui sit om-
nibus; futura certissimis præcinit oraculis; historicam con-
tinet narrationem; leges statuit vitæ sanctius instituendæ;
cuique agenda præscribit & submonet. (*Ibidem.*)

IV. *Qui vult à te mutuum accipere ne avertis*: nam
& pauper qui hic à te petit, utique mutuum ex te petit, il-
lum tibi ostendens divitem qui in cælis est, qui tibi pro eo
exolvit debitum: *qui enim pauperis miseretur Deo fœnerat*.
Fœnoris vero certa, fideque digna sponso est Regnum Cæ-
lorum. (*I. Psal. 14.*)

V. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi*: non
cuilibet animæ gaudium à Deo infunditur; sed ei quæ pec-
catum suum vehementi luctu, & assidua lamentatione plo-
raverit; veluti si seipsum mortuum lugeat; qui sane fletus

postremo in gaudium vertetur. (*In Psal. 29.*)

VI. Nihil minus Christianum decet, quam ut quidem in rebus prosperis benedicat Domino: contra vero quapiam calamitate afflictus laudes reticeat Dei, cum tunc magis sit benedicendum: ut qui noverimus quod quem diligit, erudit & castigat. Igitur: *Semper laus ejus in ore meo.* (*In Psal. 33.*)

VII. Sive bibat justus, sive edat omnia ad gloriam Dei facit; hujusmodi, etiam cum dormit, cor vigilat. (*Ibidem.*)

VIII. *Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Omni in Christum credenti Angelus assistit, nisi illum à nobis per improbas actiones expulerimus. (*Ibid.*)

IX. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Per hoc quod ex toto corde dicit, divisionem ad alia nullam admittit. Quantum enim dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantum necesse sit ut ei adimas, cujus totum est. (*In Psal. 44.*)

X. *In diebus meis invocabo.* Hic Sanctus confessionem se omni vitæ suæ temporì commensuraturum dicit. Nos autem cum vel una oraverimus die, vel hora una brevem aliquam super peccata nostra tristitiam passi, securitatem nobis promittimus; perinde ac si quidquam confecissemus, quod ex æquo responderet diluendæ nostræ omni malitiæ. (*In Psal. 114.*)

XI. *Misericors Dominus & Justus.* Ubique Scriptura misericordiam Dei cum justitia conjungit; nos plane erudiens, ut quemamodum nec misericordia Dei est sine judicio, nec judicium sine misericordia sit: sed cum misereatur, etiam cum judicio miserationes suas his qui digni sunt admensuret: & cum judicat, commensuratum quoque nostræ infirmitati judicium inferat, benignitatis erga nos affectu potius quam æqui compensatione nos plectens. (*Ibid.*)

XII. Nulla est insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non sit auditum jejunii edictum: quin, & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiunt. Ne quis igitur semet excludat à numero jejunantium; in quo omne hominum genus omnes dignitatum formæ censentur. (*Orat. 2.*)

XIII. Agnosce, ò homo, eum qui dedit. Fac memineris tui ipsius: tu quis, quid item dispenses, à quo acceperis, qua item gratia multis sis Prælatus. Dei optimi Minister es, dispensator tuorum conservorum. Quæ in manibus habes, ut aliena existima quorum acriter ratio à te exigetur. (*De avaritia.*)

XIV. Si tantum quisque usurparet, quantum ad propriæ necessitatis solatium faceret, superfluumque egenti tribueret, nemo profecto esset dives, nemo pauper. (*In ditescentes.*)

XV. Num injustus est Deus, qui ea, quæ sunt ad victum necessaria, inæqualiter nobis diviserit? Cur tu dives est, ille pauper? Profecto non ob aliam causam, nisi ut tu benignitatis, ac fidelis administrationis mercedem accipias, ille vero patientiæ premiis honoretur. (*Ibidem.*)

XVI. Vidi ego multos jejunantes, orantes, præteritorum poenitentia suspirantes, omnem denique sine sumptu pietatem ostendentes, egentibus vero ne obolum quidem præbentes. Quid his cætera virtutum diligentia prodest? Non propter ea regnum Dei consequentur. (*Ibidem.*)

XVII. Nosce unum verum malum esse peccatum cujus finis perditio est: alterum vero apparens tantum malum, vim alioqui boni habens, sensibus afflictionem præbens; quemadmodum calamitates quarum fructus salus est animarum æterna. (*Homil. es Deus, non es auctor. mal.*)

XVIII. Si mihi credis, probra, contumeliasque con-

temens... Ex hac conditione, quale uterque vestrum nomen assequatur videamus. Hic contumeliosus, tu magnanimus vocaberis. Hic iracundus, tu mitis. Hunc quandoque poenitebit horum quæ loquitur, te numquam virtutis, aut benefacti poenitebit. (*Homil. de ira.*)

XIX. Omnis Evangeliorum vox reliquis omnibus Sancti Spiritus documentis eminentior esse dignoscitur; quod in aliis per servos, in Evangeliiis autem ipse per se Dominus alloquitur. (*In Evang. Joan.*)

XX. Siquando te præsens benefactum non nil elatum reddit; ad memoriam revoca quid olim mali feceris, & cessabit inflata illa animi elatio. (*Homil. de humil.*)

XXI. Quæ possessores suos sequi non valeant, illa colligimus. Et quæ nobiscum uniri, & animæ simul & corpori verum, & cognatum ornamentum esse possunt, istis animum non advertimus. (*Homil. 33.*)

XXII. Impossibile est eum qui peccata committit, aut temporariis negotiis, curis ve anxiiis eorum etiam quæ ad hujus vitæ necessitatem pertinent, implicitus est, servire Domino: nedum illius fieri discipulum (*De Bapt. l. 1.*)

XXIII. Summe necessarium est, ut primum ab oppressione diaboli liberemur, deinde abnegemus omnia præsentia, & nos ipsos; ut abjecto prorsus vivendi desiderio, Domini simus discipuli, sicut ipse dixit: *si quis venit ad me abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* (*Ibidem.*)

XXIV. Non terribile tantum judicium habet qui in carnis, ac spiritus inquinamento ad sancta accedit indignè, sed & otiosè, & inutiliter edens, ac bibens. (*Cap. 3.*)

XXV. Si ex licitis aliquid, & in nostra potestate constitutis, infirmo, vel fide, vel scientia offendiculum ingeneraverit; apertum, & inevitabile judicium habet, de quo Dominus sic loquitur: prodest illi, ut mola asinaria in col-

lum ipsius suspensa projiciatur in mare quam ut unus ex his pusilis offendatur. Si vero in licitis tale est judicium, quid dicendum est de vetitis? (*Quæst. 10.*)

XXVI. *Ne declines ad dexteram sive ad sinistram.* Sicut in gulæ intemperantiam declinare grave, ac periculosum est; ita per abstinentiam nimiam corpus atterere, ac per infirmitatem inutile redere, omni profectò ratione caret... Igitur & corporis cura necessario habenda est, non ipsius gratia, sed ut servitio illius ad sanctæ philosophiæ studia uti possimus. (*De vera Virg.*)

XXVII. Non simpliciter carnis providentiam faciendam non esse definivit, sed addidit *in concupiscentiis.* Oportet igitur concupiscibile carnis, atque ad vitia, voluptatesque proclive per continentiæ exercitia frangere; quod vero ejus virile est, atque ad acquisitionem virtutis necessarium provida consideratione servare. (*Ibidem.*)

XXVIII. Quasi præsentem sponso, & inspectante omnia, Virgo se habebit in omnibus... Etsi adsit nemo, ipsa tamen sibi Virgo adest, debetque præ omnibus seipsam revereri, deinde adstantem sibi custodem Angelum. (*Ibidem.*)

XXIX. Tunc legitimum constat esse connubium, & secundum divina jura institutum, cum non voluptatis affectus legis scita præcesserit, sed adjumenti necessarii, prolisque causa fuerit hujusmodi facta conjunctio. (*Ibidem.*)

XXX. Quanto corpus inferius est dignitate quam anima; tanto minus est vitium, quod per corpus admittitur, quam quod per nudam perpetratur animam. (*Ibidem.*)

XXXI. Sacra quædam res est consilium, voluntatum unio, fructus dilectionis, humilitatis insigne; è diverso intolerabilis superbiæ argumentum est, existimare se nullius egere consilio, sed sibi uni attentum esse; quasi solus possit sibi consilio decernere quæ optima sunt. (*In Is. Proph. c. 2.*)

XXXII. Non est quamobrem tu qui ad uxorem du-

cendam applicare animum maluisti, perinde quasi ea re tibi mundum amplecti licitum sit; disidia te des: quando eo majore tibi labore contendendum est, attentioreque animi utendum vigilantia, ut salutem invenias: veluti qui sedem tibi in mediis laqueis, mediaque rebellium potestatum ditione elegeris: ubi peccatorum assidua ante oculos posita irritamenta habeas, ad quæ concupiscenda omnes sensuum libidines assidue veluti loco emota impellantur. (*De abdic. rer.*)

XXXIII. Summa vigilantia operam dato, ut aliquem tibi virum invenias, quem in omnibus delectæ tuæ vitæ studiis ducem sequaris, ejusmodique qui rectum iter ad Deum volentibus pergere sciat: commostrare; qui ornatus virtutibus sit; cui totius vitæ actiones testimonio sint, charitatem in eo erga Deum inesse. (*Ibidem.*)

XXXIV. Si Dei munere talem quempiam virum inveniis (prorsus si pervestigare volueris invenies) magistrum bonorum operum; hoc apud te constanter teneto, ut nihil omnino quidquam præter illius sententiam facias. (*Ibidem.*)

XXXV. In omnibus, quæ à proximo tuo recte animadvertentis fieri, lætare, & Deo gratias age: quando illius recte facta tua sunt, sicut vicissim item tua illius. (*Ibidem.*)

XXXVI. Poenitentibus non satis est ad salutem, si recesserint tantummodo à peccatis; sed opus est, ut fructus dignos poenitentia ferant. (*Ex sentent. mor. Reg. I. c. 4.*)

XXXVII. In rebus minime ad nos pertinentibus investigandis nullo modo debemus esse curiosi. (*Reg. 9.*)

XXXVIII. Sæpenumero propter præcedentem in animo alicujus impietatem Deus loco supplicii ea facere permittit quæ flagitiosissima sunt. (*Reg. 11. c. 4.*)

XXXIX. Ne aliquem scandalizemus ea etiam à nobis fieri debent quæ aliis minimè necessaria sunt. (*Reg. 33.*)

XL. Eniti debet unusquisque, quantum in ipso est, ut talis sit, unde bonarum rerum cæteri sumant exemplum. (*Reg. 34.*)

XL. Eniti debet unusquisque, quantum in ipso est, ut talis sit, unde bonarum rerum cæteri sumant exemplum. (*Reg. 34.*)

XLII. Cum infirmioribus temperatè agendum sit, & diligenti cura alii erigi, & ad perfectionem duci debent; ita tamen temperatè, ut propterea Dei mandatum non negligatur. (*Reg. 41. c. 2.*)

XLII. Quidquid habet quis ultra naturalem suam ad victum necessitatem, id necessario in beneficium alterius debet conferre ex mandato Domini, unde etiam accepimus ea quæ habemus. (*Reg. 48. c. 2.*)

XLIII. Nullo modo de his rebus solliciti esse debemus quæ necessaria ad victum sunt: neque in his, quæ ad hanc vitam degendam parta habemus, spes nostra ponenda; sed curam sui quisque remittere debet divinæ Providentiæ. (*C. 4.*)

XLIV. Quodcumque alios videmus qui peccant, nequaquam, perinde, ac si nihil referret, æquo animo ferre debemus; sed contra potius eorum vicem dolere, ac lugere nos oportet. (*Reg. 52.*)

XLV. Pro certo tenendum est, & confitendum etiam delationem cuiuscumque boni; atque adeo ipsam etiam eorum, quæ Christi causa patimur incommodorum tolerantiam, à Deo nobis proficisci. (*Reg. 55.*)

XLVI. Nequaquam se ultro quis offerre tentationibus debet, antequam id ei suo tempore concedatur: & orare unusquisque debet, ut ne incidat in tentationem. (*Reg. 62. c. 2.*)

XLVII. Debet Christianus in singulis tentationibus eorum meminisse, quæ appositè ad illas in sanctorum litteris scripta sunt: atque ita illas se servare, & adversariorum in se conatus irritos facere. (*Cap. 3.*)

XLVIII. Neque ad ostentationem, neque ad questum verbum Domini conferri debent. Sed in docendo tales nos esse convenit, perinde ac si pro gloria Dei ipso au-

diente loqueremur. (Reg. 70. c. 23.)

XLIX. Non debemus putare nos posse consiliis nostris illud assequi, ut prosperè prædicatio nostra succedat: è contra, hujus rei spes omnis nobis collocanda est in auxilio Dei. (Cap. 27.)

L. Nullo modo debent mulieres corporis elegantia studere, sed potiùs curam omnia in bona opera conferre, atque hanc verum Christianarum ornatum esse existiment. (Reg. 73. c. 5.)

LI. Debent servi omni cum benevolentia Dominis suis obedire ad Dei gloriam; idque omnibus in rebus, in quibus id salvis mandatis Dei fieri possit. (Reg. 75.)

LII. Debent domini ejus qui verus est Dominus memores, mutuas velut reddere operas servis suis, quantum possint, in timore Dei & clementia adversus ipsos, idque exemplo Domini. (Cap. 2.)

LIII. Debent filii parentes suos honorare, & illis omnibus in rebus obedire; quæ modo Dei mandato non sint impedimento. (Reg. 76. c. 1.)

LIV. Debent parentes in disciplina, & correptione Domini filios educare, adhibita lenitate ac clementia: neque quantum in ipsis sit, ullam omninò ipsis causam dare, quamobrem aut irasci debeant aut dolere. (Cap. 2.)

LV. Majoribus Potestatibus subjecti esse debemus in iis rebus, quæ modo non sint impedimento mandatis Dei. (Reg. 79. c. 2.)

LVI. Quales esse Christianos decet? tanquam Christi discipulos, qui ad ea tantummodo se conforment quæ in ipso videant, vel audiant ab ipso. (Reg. 80.)

LVII. Quales oportet esse eos quibus prædicatio Evangelii credita est? Tanquam Apostolos, & Ministros Christi, & dispensatores fideles mysteriorum Dei, sola ea quæ à Domino præcepta sunt, integerrimè, & re & verbo implentes. (Ibidem.)

LVIII. Tanquam formam, aut regulam pietatis, ut per eos ad rectitudinem omnem dirigantur illi, qui Dominum sequuntur, & illorum perversitas detegatur, qui illius in quavis re imperium detrectant. (Ibidem.)

LIX. Tanquam parentes & nutrices filiorum, qui ex magnitudine ejus quæ in Christo est charitatis, parati sint libenti animo communicare illis non solum Evangelium Dei, sed suam etiam ipsorum vitam. (Ibidem.)

LX. Tanquam Dei adjuutores, qui solis Deo dignis operibus totos se mancipent pro gloria Dei. (Ibidem.)

LXI. Quid est proprium illorum qui manducant panem, & bibunt poculum Dei? Servare perpetuam memoriam illius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit. Quid est proprium eorum qui talem servant memoriam? ut jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. (Ibidem.)

LXII. Quid proprium Christiani? quotidie ac singulis horis vigilare, & assiduè paratum esse ad eam perfectionem per quam placeat Deo; illud scientem, venturum esse Dominum horâ illâ quâ non sperat. (Ibidem.)

LXIII. Perfecta renuntiatio in eo consistit, ut quis passionibus omnibus careat, & nec ad vitam ipsam affectu inclinetur: ac in se responsum mortis habeat, ita ut nihil sibi confidat. Porro ejusmodi renuntiatio initium sumit ab alienatione rerum externarum, veluti possessionum, inanis gloriae, consuetudinis vitæ superioris, & ad res inutiles affectionis. (Interrog. 8.)

LXIV. Constans atque uniusmodi est vita Christiani, eaque unum modo sibi propositum habet, gloriam Dei. (Interrog. 20. resp.)

LXV. Illud habeat persuasum Antistes, quo præsit pluribus, hoc necesse sit, pluribus ut ministret. (Interrog. 50.)

LXVI. Morum mansuetudo & humilitas cordis, præ-

cipua velut Antistitis insignia sunt. Si enim Dominus discipulis ministrare non erubuit... quid oportet nos erga æquales præstare, ut ejus imitationem nos assecutos esse possimus existimare? Tum clementem esse Antistitem oportet, erga eos qui per inexperientiam delinquant; non tamen qui obticescat ad peccata... idoneum præterea qui accommodata morbis remedia excogitet, non atrociter objurgantem, sed in mansuetudine monentem. In rebus præsentibus administrandis pervigilem; in futuris sagacem: talemque qui & certare cum valentibus possit, & infirmorum imbecillitates portare: cujus cum dicta tum facta omnia, ad illorum quorum disciplinæ præsit, perfectionem pertineant: non qui sibi ipse prælationem assumat, sed qui à cæteris qui auctoritate præstant delectus sit; & satis magnum in superiore vita documentum dederit probitatis morum suorum. (Interrog. 43. resp.)

LXVII. In quibus exquirendis curiosa quædam & anxia nimis solertia curaque est opus: quæque magnas nobis molestias quasdam conciliant, ac quasi vitam nostram in corporis curatione implicatam tenent; ea à Christianis hominibus funditus repudianda sunt: dandaque nobis studiose opera est, ut hujusmodi arte ita utamur, ut nullo modo omnem ei, aut prosperæ aut adverse, valetudinis causam assignemus; sed ut ad gloriam Dei salutaria corpori nostro ab ea subsidia petamus. (Interrog. 55. resp.)

LXVIII. Non semper morbi omnes à naturæ aut vitiosa victus ratione, aliisve sitis in corpore nostro causis, ad quæ utilem interdum medicorum artem videmus, ortum ducunt: quandoquidem morbi sæpenumero veluti quædam peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur nisi ut vitam nostram in melius commutemus. (Ibidem.)

LXIX. Neque fugienda penitus ars medicinæ est, neque rursus omnia in ea salutis nostræ præsidia collocanda:

sed quemadmodum licet gubernatori clavum commitamus, Deum tamen ut nos ex alto salvet incolumes oramus; sic cum medicum adhibemus, idque ratio fieri concedit, neutiquam à spe illius erga nos bonitatis debemus discedere. (Ibidem.)

LXX. Ad colendam continentiam haud mediocri momentum ars hæc videtur afferre. Si quidem ab ea & deliciæ amputantur, & crapula damnatur, epularum præterea varietas & exquisita nimis condimentorum præve excogitata solertia improbat: in summa denique sobrietas & diæta, sanitatis mater, appellatur. (Ibidem.)

LXXI. Omne verbum quod ad propositum in Domino usum non facit, otiosum est: & adeo magnum est hujusmodi verbi periculum, ut licet genere ipso de numero bonorum sit quod dicatur, nisi ad ædificationem fidei dirigatur, propterea quod bonum sit, liber non sit à periculo qui illud locutus est; quippe qui ex eo quod ad ædificationem illud non accommodaverit, contristasse noscitur Spiritum Sanctum Dei. Hoc enim apertè docuit Apostolus cum dixit: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Et subjicit: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis.* (In regul. breviorib. interrog. 23.)

LXXII. Cum Dominus dixerit: *non veni ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me;* in quacumque re voluntatis suæ arbitrio non stare, periculosum est: quod intelligens David dicebat: *juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ, non voluntates meas.* (Interrog. 137. resp.)

LXXIII. Quod ab amico magnum adeo beneficium possit proficisci, quantum est illud quod ab inimicis nobis datur? quorum opera fit, ut beatitudinem illam assequamur, de qua Dominus ait: *beati estis cum persecuti vos fuerint homines, & dixerint omne malum adversum vos: gaudete,*

& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.
(Interrog. 176.)

LXXIV. Quomodo manducat quis ad gloriam Dei? Cum illud sibi propositum habet, ut non tanquam ventris mancipium propter voluptatem manducet, sed tanquam operarius Dei, ut in operibus his, quæ sunt ex mandato Christi, exequendis, possit esse firmior. (Interrog. 196.)

LXXV. Si quis venit ad me, abneget semetipsum, & post adjecit: *& sequatur me*, nisi enim quis seipsum abnegaverit, & crucem sustulerit, in processu multa in se invenit, quæ sunt impedimento ad sequendum. (Interrog. 237.)

LXXVI. Si quis tantummodo obtulerit, is reus futurus est sanguinis eorum qui peccaverint; quid dicendum de his, qui factis, dictisque alios scandalizant. (Interrog. 261.)

LXXVII. Scire convenit, calamitatum quæ nobis eveniunt, variam esse rationem, quippe Deum esse, cujus vel numine vel permissu illa nobis contingunt; idque ad majorem utilitatem nostram, quam ea fuisset, si ab iis liberi fuisset. (Interrog. 261.)

LXXVIII. Majorem adhibere curam debet is qui emit, ne in persolvendo, de pretio aliquid detrahat, quam is qui vendit, ne sibi de pretio aliquid detrahatur. (Interrogat. 286.)

LXXIX. Ne mente unquam distrahatur, qui excellentem David mentem illam induerit, qui ait: *providentiam Dominum in conspectu meo semper*. Unusquisque consideret, quomodo coram aliis se gesserit licet sibi sint inæquales; quomodo in omni re vitare reprehensionem studet, in statu, in motu, in loquutione. Multo magis id persuasum habeat, se Deum habere inspectorem scrutantem corda, & renes. (Interrog. 306.)

LXXX. Implorandum est divinum auxilium, non lente, nec mente temerè aberrante, qui enim sic facit, is

tantum abest, ut impetraturus sit quod petit, ut etiam sibi Dominus irascatur... *Et oratio ejus fiat in peccatum.* Etenim si qui coram Principe stat, & ipsum alloquitur, magno cum metu stat; & cum corporis extrinsecus, tum mentis intrinsecus attentos oculos tenet; quanto majore cum metu censendum est, oportere nos stare in conspectu Dei tota mente in illum intenta, neque usquam alio. (Const. mon. c. 1.)

LXXXI. Tum demum voti compos efficiere, quando Dominus voluerit: quandoquidem quæ tibi expediant melius ipse intelligit quam tu. Et ea re fortasse differt, quæ daturus est, ut hoc modo magis te ad assiduitatem vocet, & ut intelligas, quod sit donum Dei, & ut datum diligenter custodias. (Ibidem.)

LXXXII. Delator tribus Personis calumpniæ notam in se pergit: lædit eum quem calumniatur, eos coram quibus loquitur, & seipsum. (Ep. 75.)

ADDITIONES.

I. Bienaventurado es el que no mira como propias las cosas de la tierra, ni pone su descanso en el mundo, como si fuera la verdadera patria; antes bien llora de ver que está estancado en el mundo, privando de las cosas mejores, y así sufre la vida como domicilio de su destierro. (In psalm. 14.)

II. Cada una de nue-

VI. Beatus plane, qui viis quæ in terra sunt, non ut propriis se addixit, neque isti sæculo tanquam naturali suæ patriæ acquievit: quin potius gravatur, quod incolatum hunc casum esse novit, a rebus potioribus, & quasi proscriptionis domicilium vitam hanc incolit. (In Psal. 14.)

II. Una qualibet actio,

aut ad inferiora nos, per peccatum gravando, deducit, vel habiles ad Deum accedendi ad superiora tollit. (*In Psal. 29.*)

III. Quoniam in corpore peccavimus, quando membra nostra serva peccati, ad iniquitatem præbuimus: corpore item confiteamur, eodem in peccati dissolutionem utens instrumento. Maledixisti? benedicas. Circunvenisti proximum in negotio? redde. In ebrietatem incidisti? jejuna. Arroganter & superbe egisti? humiliare. Invidisti? obsecra. (*In Psal. 32.*)

IV. Quoniam non jejunavimus, exulamur à Paradiso. Jejunemus igitur, ut ad illum postliminio revertamur. (*Hom. I. de jejun.*)

V. Sane ad eum modum sine intermissione oraveris, non quidem si verbis modo orationem expleveris; verius ubi omnis prorsus vitæ tuæ ratio, divinæ te conformarit voluntati; sic ut vita tua dici & esse promereatur con-

tras acciones, ó nos acerca al infierno, si lleva el peso de la culpa, ó nos habilita, si es virtuosa, para subir á Dios. (*In Psalm. 29.*)

III. Pues hemos pecado con nuestro cuerpo quando entregamos á la iniquidad nuestros miembros para servir al pecado. Confesemos tambien con el cuerpo, tomándole por instrumento para satisfacer por las culpas. Si maldixiste, bendice. Si engañaste en algun trato al próximo, restituye. Te embriagaste, ayuna. Si fuiste soberbio y arrogante, humillate. Tuviste envidia de alguno, ora por él. (*In Psal. 32.*)

IV. Estamos desterrados del Paraíso por no haber querido ayunar. Ayunemos, para que se nos permita volver á él. (*Hom. I. de jejun.*)

V. Orarás sin intermission, si tu oracion no se reduce á solas palabras; sino que todo el método de tu vida es conforme á la divina voluntad, de tal modo, que pueda, y merezca tu vida llamarse una continua ora-

cion. (*Orat. in Mart. Julit.*)

VI. Para negar al pobre que pide a legas mil ocasiones de gastos. Pero ¿qué responderás al Juez, si visitando las paredes, no visitas al hombre?

VII. Asi como el hierro consume al hierro, asi destruye la envidia á los que llega á poseer. (*De invid.*)

VIII. Suele el Piloto mirar al cielo, y en sus disposiciones conoce el curso de su navegacion.... Tu, pues, levanta al cielo los ojos, según lo que dice David: *A tí, Señor, que habitas en los cielos, levanta mis ojos: mira aquel Sol de Justicia que está en el cielo; y observa tú como astros resplandecientes sus Mandamientos.* (*In princ. Prov.*)

IX. Demasiado hemos vivido para el mundo: vivamos para nosotros lo que resta. ¿Qué compensacion será correspondiente al valor del alma? ¿Qué habrá que

tinens quædam & indivulsa Oratio. (*Hom. in Martyr. Julittam.*)

VI. Petenti denegas, mille sumptuum occasiones commemorando: quid miser judici respondebis? Parietes vestis, hominem non vestis &c. (*Ibidem.*)

VII. Quemadmodum rubigo ferrum, sic invidia hos, qui eam possident, consumit, atque vastat. (*De invidia.*)

VIII. Mos est naucleri in cælum aspicere, indeque navigationis cursum auspiciari.... Tu quoque oculos ad cælum attollens, secundum eum qui ait: *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cælis: habitantem in cælo Justitiæ Solem respice; ac velut astra quædam splendida, Dei mandata observa.* (*In princ. Prov.*)

IX. Longo nimis tempore mundo viximus, reliquum vivamus, & nobis ipsis. Quænam quæso animæ digna compensatio? Quid æque regno cælorum compa-

randum? (*Exhort. ad Baptism.*)

X. Plurimi exploratores magis sunt eorum quæ dicuntur: quam discipuli eorum quæ docentur: & doctrina verbi non requiritur ad ædificationem adstantium, sed ad calumniam insidiantium. (*Homil. 29. advers. calumn.*)

XI. Qui cum Christo per baptismum crucifigitur, ab omnibus in universum qui secundum hoc sæculum vivunt abalienatus est; sublata jam mente ad caelestem conversationem exaltatus; ut queat vere, & cum fiducia quæ in Christo est, dicere: *Nostra conversatio in caelis est.* (*Ibidem.*)

XII. Quales esse Christianos decet? tanquam Christi discipulos, qui ad ea tantummodo se conforment, quæ in ipso videant, vel audiant ab ipso. Tanquam oves Christi qui solam audiant vocem Pastoris sui, & ipsum sequantur. Tanquam palmites Christi in ipso radicatos & ipsi fructum ferentes, & omnia, quæ illo

pueda compararse con el cielo? (*Exhort. ad Bapt.*)

X. Hay mas exploradores de lo que se dice, que discipulos de lo que se enseña; ya no se procura la doctrina de la palabra de Dios para edificacion de los asistentés, sino para blanco de los calumniadores. (*Hom. 29. advers. calumn.*)

XI. El que por el bautismo se crucifica con Christo, se ha despedido de todos los que viven segun el mundo: está elevada su alma á la celestial conversacion para poder, confiado en Christo, decir: *Nuestra conversacion es en los cielos.* (*Ibidem.*)

XII. ¿Cómo deben ser los Christianos? Como discipulos de Jesuchristo que procuran conformar su vida, segun lo que ven en él, y lo que les dice. Como ovejas de Jesuchristo que oyen la voz de su Pastor, y le siguen. Como sarmientos, cuya raiz es Christo, que fructifican por él, y no tienen,

ni hacen cosa que no sea digna del Señor, y conforme á su voluntad. Santos y puros como Templos de Dios, solamente ocupados con lo que pertenece al culto divino. Como hijos de Dios, formados á su imágen, segun la medida que ha dado á los hombres. (*Reg. 80. 2.*)

XIII. ¿Cuál debe ser la propiedad de los Christianos? Amarse unos á otros con una caridad semejante al amor con que Jesuchristo nos amó. (*Ibidem.*)

XIV. Si se debe dar la vida por los amigos, ¿qué diremos de los bienes que son de menor precio? (*Interrog. 162. resp.*)

XV. Los dos principales efectos que la caridad produce son, dolerse, y angustiarse en las cosas que hacen daño á la persona amada; y asimismo procurar su utilidad, y alegrarse de ella. Feliz, pues, el que se entristece por saber que otro ofende á Dios, por ser tan temible su peligro; y se regocija quando alguno executa la accion bue-

digna sunt & ipsius voluntati consentanea facientes & habentes. Tanquam Templum Dei sanctos & mundos, & iis repletos solum, quæ ad Dei cultum pertineant. Tanquam filios Dei formatos ad imaginem Dei, secundum mensuram quæ donata est hominibus. (*Reg. 80. 2.*)

XIII. Quid proprium Christianorum? ejusmodi dilectio inter ipsos, cujusmodi ea fuit, qua dilexit nos Christus. (*Ibidem.*)

XIV. Si pro amicis ponenda est anima; quanto magis quæ minoris pretii sunt? (*Interrog. 162. resp.*)

XV. Charitatis præcipua sunt hæc duo, dolere & angui in iis rebus ex quibus læditur is erga quem charitas habetur: similiterque ipsius utilitate lætari, & pro ea laborare. Beatus igitur quicumque moeret propter illum qui peccat, cum ejus periculum adeo sit metuendum, & lætitia afficitur propter illum qui recte facit, cum ejus lu-

crum sit incomparabile... qui autem hoc modo varie non afficitur, de hoc prorsus dubitari non potest, quod fratrem ex mandato non diligit. (*Interrog. 175. resp.*)

XVI. Dictionis inaffectata simplicitas decora mihi videtur, & professioni Christiani hominis conveniens; cuius est non ad ostentationem magis scribere quam ad publicam utilitatem. (*Epist. 167. Diodor.*)

XVII. Patrum vestigiis non insistere; & suam ipsorum excogitatum sententiam velut potiore, voci illorum anteferre, præsumptionis plenum. (*Epist. 300. Canon.*)

na, por ser incomparable su ganancia.... Pero del que no siente estos varios afectos, no se puede dudar que no ama al hermano, segun el precepto. (*Interrog. 175.*)

XVI. La locucion sencilla y no afectada me parece á mí decente, y qual conviene á la profesion del hombre Christiano, al que pertenece escribir para la pública utilidad, y no para hacer ostentacion. (*Ep. 167.*)

XVII. El que no sigue las pisadas de los Padres, y no antepone á su voz la propia sentencia, como si fuera mejor, está lleno de presuncion. (*Epist. 300. Canon.*)



SENTENCIAS ESCOGIDAS

DE S. GREGORIO NACIANZENO,

Correspondientes al cap. III. art. IV.

I. Optimus hic ordo est, ut qui, vel sermonem, vel rem aliquam, auspicatur, à Deo incipiat, & in Deo conquiescat. (*Orat. 1.*)

II. Ab eo, qui hanc curam suscepit, non hoc solum requiritur ut malus non sit, sed etiam ut virtute prætet... ita ut magis virtute antecellat, quam honore & dignitate superet; nec modum sibi illum honeste vivendi, atque ad altiorem virtutis gradum ascendendi constituat; nec lucro potius id quod arripuit, quam damno id quod effugit deputet. Nec virtute vulgus anteire magnopere amplum, atque illustre iudicet; verum detrimento ducat, si à suscepti muneris dignitate absit. (*Ibidem.*)

III. Sit sane aliquis non modo à vitiorum contagione purus, verum ad summum etiam virtutis fastigium evector; haud equidem video quam scientia instructus, aut quibus viribus fretus, huiusmodi præfecturam intrepidè suscipere queat. (*Ibidem.*)

IV. Alios docere aggredi, priusquam ipsi satis edocti simus, valde stultorum, ac temerariorum hominum esse videtur: stultorum, si ne inscitiam quidem suam non agnoscant; temerariorum, si cum eam cognitam habeant, hoc tamen negotium aggredi non verentur. (*Ibidem.*)

V. Quis est qui veritatis propugnatorem unius diei spatio velut è luto statuam fingit? Illum inquam qui cum Angelis stabit, ad supernum altare sacrificia transmittet, cum Christo Sacerdocio fungetur, figmentum instaurabit, imagi-